

MEMORIAE SEMPER-VIVÆ
VIRI

Incomparabilis,
Deqve Republicâ literariâ immortaliter meriti,
Nobilissimi, Amplissimi, atqve Excellentissimi

DN. M. JACOBI
THOMASII,

Eloquentiæ Professoris Publici, Facultatis Philo-
sophicæ Senioris, Collegii minoris Principum
Collegiati, Academiae Decem-Viri & Sub-senioris, atqve
Scholæ Thomanæ, Rectoris,

SOLENNI EXEQVIARUM DIE
XIIX. Cal. Octob. A. Æ. Dionys. M. DC LXXXIV.
exiguum hoc

MONUMENTUM

erigit

Ex jure pristini sodaliti

Moerentibus Commœrens

COLLEGIUM CONCIONATORIUM
MAGNUM

Interprete


M. CHRISTIANO ZSCHOCHIO.

LIPSIÆ,

TYPIS CHRISTOPHORI FLEISCHERI.

Heu!
 Adeste,
 Qvi potestis Corpore,
 & qvi
 Hoc abestis, adeste Animò!
 Qvod si nunquam, & unquam
 Gemitus, Rivos, Planctus
 E Pectore, ex Oculis, cum Brachiis
 Præ Dolore, Mœrore, Angustiâ
 Emisistis, effudistis, civistis,
 nunc
 emittite, effundite, ciete;
 h. e.
 deplorate
 Cum mœstissimâ Vidua, ô quanta amaritudo voci inest! Maritum
 conjunctissimum,
 Cum lacrymantibus Liberis, Liberis, vah! Capite, Parentem s'avis-
 simum,
 Cum obnubilatâ Illustri Academiâ Professore famigeratissimum,
 Imò Ornamentum splendidissimum,
 Cum Inclyto, maximeqve attonito Philosophorum Ordine Seniore
 Venerandum,
 Cum perfecto & imperfecto Decem-Virali Collegio Membrum
 Desideratissimum,
 Cum relictâ scholâ Rectorem vigilantissimum,
 deniqve
 Cum Universâ turbatâ Musarum Turbâ
 Apollinem & Doctorem Excellentissimum,
 Deplorate, rogo, lacrymis,
 si fando
 Eloquentiæ jacturam haud licet eloqui,
VIRUM

De
 Virtutibus Ingenii, eruditionis, immensæqve fermè notitiæ
 Nunquam-non, nunquam tamen satis laudandum,
 Encomiis, puta, omnibus majorem,
 Nec unquam satis deplorandum
VIRUM MAGNUM
 Non tam
 Ob magnos, è quibus natus est, Majores,
 quàm
 Ob magna, imò maxima, quibus præfuit sine Officiis, Officia,
 nec non
 Ob magnam, quid magnam? incomparabilem, quâ claruit, scientiam,
 In Magnò ætatis anno
 Climactericò,



Qvi, vitatâ Thomæ Fieni temeritate,
 Temerâqve aliorum superstitione,
 Ceu Magnis Luminibus, Megalandro scil. Luthero,
 nec non
 Phœnici studiorum Melanchthoni
 Ominosus vulgò perhibetur,
 Sic & Beato sine stoico fato fatalis extitit,
 annò
 Faustò pariter, ac infautò,
 Faustò ipsi,
 Infautò nobis,
 Immaturâ maturitate,
 eheu!
 (quàm ad atrox illud verbum hæsito, stupeoqve!)
 ereptum,
 extinctum,

THAVMASIUM THOMASIUM

Qvidni
 Θαυμάσιος?
 Fuit enim, cum erat,
 inter doctos
MIRACULUM,
 quod
 Lipsia adeò mirari non valuit, nec valebit,
 ut
 Exteris haud majori admirationi fiet, fuerit.
 Nempe,
 Ut fufus eloqvar:
 Nomine & Omine

JACOBUS THOMASIUS.

Etenim
 Jacobi utriusqve, qvi Christum secuti sunt, vestigiis,
 simulqve Christi insistere institit,
 nec instare destitit,
 aliosqve illis insistere instituit.
 Porrò:
 Geminum exhibebat Thomam:
 Alterum, gemellum Apostolum
 non
 in incredulitate,
 Cùm tamen esset vel maximè incredulus
 Deceptor & mendaciorum Patri,
 sed
 Fidei Constantiâ,
 quâ
 Cum illo, tanquam Discipulus credulus
 Non-dubiis Magistri verbis:

Ego sum Via, Veritas & Vita,

Ante, In & post mortem
adhæsit, adhæret.

Tergeminus, ecce, in unô Apostolus!

Alterum, Angelicum Thomam Aquinatem,
quem

ex asse itidem retulit,

Quid dicam, retulit? longè potius exuperavit

Philosophus Edecumatus,

Philologus Egregius,

Orator Incomparabilis.

Doctor quidem non audiebat, reverà tamen erat:

Supremi Nominis & Honoris Titulum

jam olim

Si voluisset, consequi potuisset.

Noluit, Voluit.

Noluit rei, quam ipse possidebat, Nomen,

Voluit in Magnis Magni Parentis Filiis

Doctor salutari.

Quid?

Ipsemet nunc salutatur Doctor Angelicus, Cœlicus,

E terrestri in Cœlestem promotus Academiam,

summam,

quam hîc assequi non licet,

affecutus est Dignitatem.

Fuit enim hîc, ut ibi esse possit,

Vixit ita, ut immortalis morte mori quiverit;

Mortem enim, ut Bonus Grammaticus, declinare non didicerat;

Vixit, inquam,

Ut in terrâ apud exteros æqvè, ac Incolas,

In Cœlô apud Cœlites

æternum queat vivere.

QVARE

ADESTE, QVI POTESTIS,

Atque plorate

Beatissimum THOMASIVM,

ut

luctu vestro mœrorem

Viduæ, Filiorum, Filiarumque,

Philyræ, Sophiæ, Collegarum,

Scholæ, Musarum,

omnisque Eruditorum Coronæ

solemini.

MEDIO IBITIS TUTISSIMI.

Acclamate ergò illis:

VIVIT, QVI MORTUUS EST.

ABIIT, NON OBIIT.

Molliter Ossa quiescant!

Abite!

Ite!